

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS
ET DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIII.
PONT. MAX.
CONSTITUTIO

Pro Tertiarijs Ordinis Sancti FRANCISCI.

Universa Privilegia toti Tertiariorum cœtui, in
tres status distincto, à Summis Pontificibus con-
cessa, confirmantur; ipsiquè Tertiarij omnimodæ
jurisdictioni, & regimini Ministri Generalis to-
tius Ordinis Minorum, pro tempore exstituri,
denuo subijciuntur, & commendantur.



ROMÆ MDCCXXV.

Typis Reverendæ Camerae Apostolicæ.

REIMPRESSA

Superiorum Permissu

CRACOVIAE,

Typis Heredum Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Reverendiss. Dñi Episcopi Cracov.
Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novodyvorfianarum Ordinarij Typographi.



BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

I.
Sedis Apostolicæ amor erga DEI famulos Tertiarios præsertim atque Franciscæ.



Aterna Sedis Apostolicæ Providentiæ erga pios homines, sub habitu humilitatis & pœnitentiæ DEO famulantes, sæpè Romanos Antecessores Nostros impulit, pro eorum solitio & comodo pridem concessa approbare, & renovare, & jam approbata rursus Apostolica auctoritate munire, ut eo firmiora persistenter, quo sapius essent ejusdem Sedis auctoritate suffulta. Hinc, ut Ordinis Tertiariorum, B. FRANCISCI de Pœnitentiâ nuncupati, qui in tres status divisus, sæcularum scilicet, collegialiter viventium, & Regularium, magnos pietatis, & doctrinæ fructus in Ecclesia DEI semper protulit, & quot die proferre satagit, quieti, regimini, atque incremento probè consulere, ab ipsè Romano Pontificibus Antecessoribus nostris complures literæ diversis temporibus jamdudum vulgatæ fuerunt, in quibus variæ gratiæ, concessiones, libertates, prærogativæ, favores, immunitates, exemptiones, indulgentiæ, declarationes, facultates, privilegia, & indulta eisdem immediate, & directe, vel etiam per communicationem cum alijs Ordinibus, præsertim Fratrum Minorum, concessa, ampliata, extensa, & confirmata fuere, prout in Apostolicis literis plenius, & uberius continetur.

II.
Motiva hujus Constitutionis.

Cùm autem, sicut accepimus, per hujusmodi concessionem, ampliationem, declarationem, extensionem, communicationem, & confirmationem, adhuc omnimodæ ejusdem Ordinis, & illius Professorum tranquillitas plenè, ut decet, non consulatur; asserentibus nonnullis, gratias, & indulta hujusmodi non esse in usu, vel revocata, aut restricta fuisse, nec ex ea parte subsistere, quæ directi nem, curam, & regimen eorum Tertiariorum concernit; sive Tertiarios tantum Regulares, seu sub claustra, vel collegialiter dumtaxat viventes respicere, non autem alios in sæculo commorantes; cùm tamen idem Ordo pro utriusque sexus Christianis in ipso sæculo, & in conjugio, proprijsque domibus manentibus, à B. FRANCISCO institutus, nonnisi quartodecimo labente sæculo, in Italia præsertim, ad statum religionis fuerit evehctus, & propterea Tertiarios hujusmodi ab Ordinarijs locorum alicubi controversijs, & litibus in dies molestari, ac perturbari contingat, non sine ejusdem instituti, & Fratrum ipsorum detrimento, & quietis jactura.

III.
Lites, & controversiæ quæcunque abolerentur, & extingvuntur.

Ideo Nos, attenta consideratione pensantes, quantum utilitatis Catholicæ religioni, morumque instaurationi per humilitatis, suique abjectionis exempla Ordinis prædicti Professores hætenus attulerint, & imposterum, juvante Domino, afferre valeant; ac proinde volentes, ut decet, eorum conservationi, incremento, & tranquillitati uberius providere, motu proprio, non ad ipsorum Fratrum, aut Sororum, nec alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia, ratione eorum, quam profitentur, altissimæ paupertatis, omnes, & singulas lites, ac controversias tum in prima, tum etiam in secunda, & ultima instantia actu pendentes, ac coram quibuscumque Judicibus, & Tribunalibus, quantumvis exemplis, & privilegiatis, etiam prævia commissione manu nostra signata, vel coram Palatii Apostolici causarum Auditoribus, aut Sacris Congregationibus, nec non Nostris, & Sanctæ Sedis de Latere Legatis actas, ipsasque earumque status, nomina, & cognomina judicum, & conlitigantium, aliorumque; necessario exprimendorum qualitates, & circumstantias præsentibus literis nostris pro sufficienter expressis habentes, & ad Nos advocantes, harum seriè extingvimus, cassamus, & abolemus, perpetuumque silentium de extero eis imponi volumus, & mandamus.

IV.
Omnia privilegia à

Quascumque insuper literas, & gratias, tam spirituales, quam temporales, concessionem, indulgentias, exemptionem, indulta, privilegia, communicationem, extensionem, libertates, prærogativas, favores, peccatorum remissionem, & similia, tam

tam in genere, quàm in specie Fratribus, & Sororibus prædictis de Pœnitentia, eorumq; Monasteris, Domibus, Conservatorijs, aut alijs quovis nomine nuncupatis habitationibus, Ecclesijs etiam, Oratorijs, & Capellis vel immediate, & directe, aut etiam per communicationem cum alijs Ordinibus, & præsertim Fratrum Minorum, à Romanis Pontificibus Antecessoribus Nostrijs, quomodolibet concessa, quorum tenorem, ac si de verbo ad verbum his nostris literis intereretur, haberi volumus pro expresso, harum ferie approbamus, & confirmamus, ac pro potiori cautela, Apostolica auctoritate singula de novo concedimus, & largimur.

Ut verò detractorum calumnijs adversus hunc Ordinem, quantum Nobis ex alto conceditur, occurramus, Antecessorum Nostrorum vestigijs inhærentes, qui hunc vivendi modum, & formam approbarunt, vel confirmarunt, aut etiam summis laudibus extulerunt, Nos eundem Sanctum, meritorium, & Christianæ perfectioni conformem, nec non verum & proprium Ordinem, unum in toto Orbe ex Sæcularibus, alijsq; collegialiter viventibus, & Regularibus promiscue compositum, & à quacumq; Confraternitate ex comprehensis in Bulla recolendæ memoriæ Clementis PP. VIII. omnimodè distinctum, utpotè qui sub propria Regula, ab hac Romana Sede approbata, cum Novitiatu, Professione, & Habitu sub certis modo, & forma, prout cæteri Ordines tum Regulares, tum Militares, & alij hujusmodi consueverunt, dispositus reperitur, fuisse semper & esse decernimus, & declaramus; atq; motu simili, Regulam prædictam à felicitis recordationis Antecessoribus Nostrijs Romanis Pontificibus Nicolao IV. pro Tertiarijs utriusq; sexus, & cujuscumq; status, sive Ecclesiastici, sive Laicalis, quomodocumq; in sæculo sub proprio testè, ac in conjugio ipso degentibus, XVI. Kalendas Septembris 1289. approbatam, à Clemente V. III. Kalendas Septembris 1308. atq; à Gregorio XI. VIII. Idus Februarij 1372. alijsq; in forma specifica confirmatam, nec non per Leonem X. pro personis, tria substantialia vota emittentibus, accommodatam, & appropriatam per quasdam suas literas incipientes: *Inter cætera &c.* sub data Romæ xx. Januarij 1521. Nos denuo approbamus, & confirmamus, atq; Apostolica auctoritate perpetuum firmitatis robur illis adjicimus.

Sed quia accidit olim, & non sine animi nostri dolore in dies etiam didicimus evenire, ut Fratres dicti Ordinis, Sæculares præsertim, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, & Provincialium respectivè, quorum curæ, & jurisdictioni hæc Sancta Sedes eos subesse voluit, obedientiam, & regimen detrectantes, & non parere, ut debent, sed imperare, quod non possunt, sæpius affectantes, omnia usq; deq; vertant, Regulamq; prædictam, ac statuta, atq; adeò Nostrorum etiam Antecessorum Constitutiones, quamvis contraria intendentes, atq; præcipientes, inflectant in sensus suos, & multoties Ordinarijs locorum, aut spontè sua, aut ad eorum Fratrum Tertiariorum instantiam, mittentibus, & quo prohibiti sunt, extendentibus manum in non suam hanc messem, pro bona fruge, quæ, ut desideranda est, etiam expectanda esset, zizania tantummodo producantur, Nos memoria recolentes, primum hunc Tertij Ordinis statum sæcularium, nempe sub proprio testè degentium, dum Institutis suis obedienter insisteret, non tantum pravos populorum mores in melius reformasse, sed etiam Sanctitatis egregiæ fructus uberri-mos protulisse, cupientesq; ipsum ad pristinæ observantiæ, quem tenuit apicem, revocare, motu simili, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & quascumq; literas Apostolicas, per quas aliqua superioritas, præeminencia, & auctoritas in e-jusdem Institutu Fratres, & Sorores primario Ministro Generali prædicto totius Ordinis Minorum, alijsq; secundarijs Superioribus conceditur, & tribuitur, præsentium tenore non solum approbamus & confirmamus, verum & concessa renovamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & mandamus; speciatim verò quæ in literis Innocentij PP. IV. incipientibus: *Vota Devotorum &c.* sub datum Lugduni Idibus Junij 1246. in alijs Nicolai IV. incipientibus: *Unigenitus DEI Filius &c.* sub datum apud Urbem Veterem VI Idus Augusti 1290. in alijs Martini V. incipientibus: *Licet inter cætera &c.* sub datum Romæ IX. Decembris 1627. in alijs Sixti IV. incipientibus: *Romani Pontificis Providentia &c.* sub datum Romæ XVI. Kalendas Januarij 1471. in alijs Alexandri PP. VI. incipientibus: *Exponi Nobis &c.* sub datum Romæ XVI. Majj 1500. in alijs Julij II. incipientibus:

Summis Pœ-nificibus Tertio Ordini S. Fræ-cisci concessa approbantur, & renovatur,

V.

Triplex Tertiariorū statū unum & eundem Tertium Ordinem, sanctum, meritorium & verum, non confraternitatem componit; quorum regula denuo confirmatur.

VI.

Minister Generalis totius Ordinis Minorum, & Secundarij Superiores confirmantur in auctoritate supra omnes Tertiarios utriusq; sexus.

Exponi Nobis fecisti &c. sub datum Romæ xv. Octobris 1507. in alijs Leonis X. incipientibus: *Superioribus diebus &c.* sub datum xiv. Maij 1517. in alijs deniq; Beati Pij PP. V. incipientibus: *Ea est Officij Nostri &c.* sub datum Romæ v. Nonas Julij 1568. continentur, auctoritate, & tenore præmissis de novo confirmamus, & renovamus.

VII.
Privilegia
Apostolica
Congrega-
tionum par-
ticularium
extenduntur ad uni-
versum Ter-
tium Ordi-
nem.

Extendimus deinde ad universum Tertij Ordinis gregem quæcumq; Apostolica Indulta, aut privilegia, regimen, & directionem hujusmodi respicientia, pro una, vel altera Congregatione in particulari alias vulgata, & speciatim, quæ pro Tertiarijs Ferrariæ in quibusdam Joannis, in sua obedientia nuncupati XXIII. incipientibus: *Cum privilegijs, & literis Apostolicis ambigitur &c.* sub datum Bononiæ xvi. Kalendas Julij 1414. & alijs Pij II. pro Tertiarijs regnorum Castellæ, incipientibus: *Pia DEO, & Ecclesia desideria &c.* sub datum apud Abbatiam S. Salvatoris Clusij III. Idus Julij 1462. alijs etiam Pauli III. pro Tertiarijs Universæ Hispaniæ, incipientibus: *Exponi nobis &c.* sub datum Romæ x v. Septembris 1537. alijsq; ejusdem Pauli III. similiter pro Hispanijs, incipientibus: *Ad fructus uberes &c.* sub datum Romæ v. Nonas Julij 1547. ac alijs Alexandri VII. pro Hispanijs, incipientibus: *Exponi nobis &c.* sub datum Romæ xxviii. Julij 1657. sicuti, & alijs Innocentij XIII. pro Brasilijs, incipientibus: *Ordines, & Congregationes &c.* sub datum Romæ xxiii. Januarij 1724: edita, & publicata fuere, omnia, & similia, directionem, & regimen Ordini Fratrum Minorum attribuentia, Apostolica auctoritate confirmantes, ad gregem ipsum universum extendimus, & ampliamus.

VIII.
Omnes Ter-
tarij, non
tamen Re-
gulares Ita-
liæ subji-
cuntur dire-
ctioni Fra-
trum Mi-
norum.

Mandamus propterea universis & singulis, hujusmodi instituti Professoribus, per universum mundum existentibus, præsentibus, & futuris, cujuscumq; status, gradus, & conditionis existant, ac tam in sæculo sub proprio testo, vel in conjugio iplo, quàm collegialiter congregatis, aut etiam sub clausura sub tribus votis essentialibus degentibus, ut sicuti cum primo & secundo Ordine, Minorum scilicet, & Clarissarum, unum, & eundem Institutorem, Auctorem, & Patriarcham habent, ita unum & eundem ipsiusmet Fundatoris legitimum Successorem, veluti Patrem, & Caput totius Seraphici gregis, atq; trium Ordinum B. Francisci primarium Generalem honorent, observent, & recognoscant; ejusq; secundarios Delegatos, sive Provinciales, sive Gvardianos, aut etiam Commissarios Visitatores, tanquam suos legitimos, & veros Superiores venerentur, ita ut ipsorum judicio in dubijs, aut controversijs circa Regulam, & Statuta se conforment, atq; in ijs omnibus, quæ concernunt Ordinem ipsum, nec Regulæ sunt contraria, illis pareant, & obediant: quod si secus fecerint, ab eisdem cassari, atq; habitu spoliari possint; imò nullis proinde Tertiariorum gratijs, & privilegijs gaudere decernimus, & jubemus. Non intendimus tamen per hoc Tertiarijs Regularibus Italiæ præjudicium aliquod inferre, aut in aliquo derogare Constitutioni felicis memorie Sixti PP. V. Antecessoris Nostri, incipienti: *Romani Pontificis Providentia &c.* sub datum Romæ xxix. Martij 1586. sed eam in suo robore permanere decernimus; imo pro potiori cautela ipsam de novo confirmamus; idem omninò statuentes circa Moniales, tria Vota essentialia emittentes, aut etiam Tertiarias alias in Conservatorijs communiter tantum viventes, ut scilicet pleno jure visitationi, correctioni, ac directioni Fratrum Minorum subiaceant, nisi alite ab hac Sede reperiatur specialiter ordinatum.

IX.
Ministro
Generali to-
tius Ordinis
Minorum
injungitur
propagatio
Tertiario-
rum per uni-
versum
Orbem, el-
demq; Mi-
nistro fa-

Injungimus autem eidem Generali Ministro totius Ordinis, ut Beati Francisci Patris sui vestigijs inhærendo, ubilibet intra Provincias per universum Orbem eidem commissas, hujusmodi Tertij Ordinis Congregationes Sæculares, tam Fratrum, quàm Sororum per patentes literas suas, vel sui Commissarij Generalis erigere, ipsasq; sic erectas, juxta Constitutiones, seu Statuta a felicis recordationis Paulo PP. III. Antecessore Nostro approbata, vel secundum alia in speculo Seraphico contenta, atq; Directorio trium Ordinum inserta, nec non per recolendæ memoriæ Innocentios PP. XI. XII. & XIII. confirmata, quæ etiam præsentium tenore renovamus, & approbamus, confovere, & moderari curet, studeatque; nisi tamen eidem Generali Ministro, & Capituli Generalis Patribus, aliud in Domino videbitur expedire: quibus propterea plenum jus, ac liberam

aucto-

auctoritatem ea innovandi, immutandi, augendi, aut minuendi, ac alia de cætero statuendi, quæ bonum dicti Gregis regimen concernere possunt; dummodò tamen Regulæ præfatæ, Sacrisq; Canonibus non adversentur, ad tenorem literarum Clementis PP. VII. incipientium; *Dùm uberes fructus &c.* sub datum xv. Martij 1526. perpetuis futuris temporibus facultatem facimus atq; largimur.

Insuper dicti Ordinis profectum, & incrementum præ oculis habentes, ac prædictis Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus inhærentes, eidem Generali Ministro privativè quoad alios quoscunq; concedimus, ut per secundarios Superiores, ad id opportuna, & necessaria facultate suffultos, utriusq; sexus Christifideles juxta morem dicti Ordinis recipere, Commissarium etiam Visitatorem, seu Confessarium, moribus, vitæ sanctimonia, & ætate idoneum, qui ipsis Ecclesiastica Sacramenta ministret, ac præceptis Regulæ instruat, Congregationes, seu Congressus convocet, & in ipsis, ac alijs quibuscumq; actibus, & functionibus præsideat; duplex etiam in paritate suffragium ferat, assignare possit, ac valeat; necnon easdem Congregationes, & earum Domos, Conservatoria, Hospitalia, Cappellas, & Oratoria opportunis temporibus, vel per seipsum, vel per Ministros Provinciales, aut etiam Commissarios Visitatores, seclusis locorum Ordinarijs, & alijs quibuscumq; personis cujusvis status, gradus, vel conditionis existant, & quacumq; auctoritate fungantur, visitare, ac instruere, & paternè corrigere, ac reformare tam in capite, quam in membris, ad cassationem usq; Mantelli, & Habitus, quæ correctionis, aut reformationis officio eognoverit indigere, aliaque ad bonum dicti Ordinis, juxta ejus Constitutiones ordinare, & exequi, sicuti in Domino expedire animadverterit; & speciatim, ut quoties sibi placuerit, per Visitatores suos libros, & rationes reddituum, ac bonorum ipsarum Congregationum examinare, & recognoscere possit, qui in eorum administratione, aut eleemosynarum perceptione, vel distributione se ingerant; sed tantùm, an videlicet Deputati, & Officiales pijs operibus, ac legatis, oneribusq; præfatæ Congregationi injunctis, atq; impositis, debitis modo, & forma, & opportuno tempore satisfaciant, concedimus, & indulgemus; & pro potiori cautela piæ memoriæ Innocentij PP. XI. dispositionem per suas literas in forma Brevis, incipientes: *Exponi nobis &c.* sub datum Romæ x. Februarij 1688. circa rationem redditum per omnia Monasteria Monialium, eorumq; Exactores Superioribus Ordinis Minorum reddendam, expressè confirmamus, & ad universas Tertij Ordinis Congregationes, sive Fratrum sæcularium sub proprio tecto, sive etiam Sororum, collegialiter viventium, extendimus & renovamus.

Volumus proinde, ut Tertiarij ipsi, sub proprio tecto viventes, in omnibus se præbeant hujus sæculi contemptores, atq; eorum exemplo cæteri alliciantur, & ad humilitatem incitentur, ut sub propria Cruce, vel etiam sub Cruce Fratrum Minorum, ad publicas processiones, & ad associanda cadavera, aliaq; Ecclesiasticas functiones se conferre, & sub proprio habitu, per Ordinis Constitutiones designato, incedere valeant, ac possint, tenore præsentium concedimus, & largimur; præcipientes pariter, ad evitanda jurgia, & contentiones omnibus & singulis, etiam inter Subditos prædicti Generalis Ministri non comprehensis, & facultate pro fundandis Tertijs Ordinibus sæcularibus prædictis per Sedem Apostolicam concessa gaudentibus, nè quocumq; prætextu audeant uti hujusmodi privilegium ubicumq; Tertium Ordinem repeterint jam fundatum, eoq; minùs jam fundatas Tertij Ordinis Congregationes ad se recipere, si à Conventu recedere, apud quem, & sub cujus directione, ac gubernio erecti prius inveniuntur, recedere voluerint. Propterea declaramus omnia irrita, & merè attentata, quacumq; ab alijs, præter voluntatem antedictorum Superiorum Ordinis Minorum circa Tertios Ordines istos, aut innovari, aut mandari contigerit contra hanc nostram Constitutionem, Tertiosq; Ordines memoratos in posterum erigendos, ubi jam alij erecti, & fundati sunt, aut à Conventu, apud quem existunt, transferendos ad alium, præsertim eidem Generali Ministro nequaquam subiectum, inter Tertios Ordines approbatos ab Apostolica Sede habendos non esse, minùsq; gaudere Indulgentijs, & privilegijs Tertio hujus Ordini per eandem Sedem Apostolicam impertitis.

cultas conceditur ita tuendi, quæ bonum eorum respiciunt.

X.
Solis Superioribus Minorum competit quoscumq; recipere ad Tertium Ordinem, eisq; Confessarium, & Visitatorem, qui præsideat, & rationes examinet, assignare.

XI.
Tertiarij possint sub proprio habitu, & Cruce, vel sub Cruce Minorum publicis processionibus, & associationibus interesse: nec in loca, ubi jam sunt, alij introducantur.

XII.
Confirmatur Indulgentiæ Tertij Ordini concessæ.

Ut autem Christifideles sacrum hoc Institutum ferventiùs quærant, & inventum non dimittant, libentiusq; vacent exercitijs pietatis, & humilitatis, à B. Francisco in Regula sua præscriptis, omnes, & singulas concessiones, & gratias tam spirituales, quam temporales, indulgentias præsertim per quoscumq; Romanos Pontifices Prædecessores nostros uni, vel alteri Congregationi Tertij Ordinis hujusmodi, sive sæcularium, sive collegialiter viventium, sive etiam Religiosorum, eorumq; personis, atq; Monasterijs, Domibus, Conservatorijs, Ecclesijs, Hospitalibus, Capellis, & Locis quibuscumq; tam directè, & specificè, quàm etiam per communicationem cum alijs Ordinibus, Minorum scilicet, Sanctæ Claræ, Prædicatorum, Augustinianorum, Carmelitarum, aliorumq; Mendicantium, necnon cum Archiconfraternitatibus Cordigerorum, & Confalonis de Urbe, sub quacumq; forma, & expressione verborum concessas approbamus, & confirmamus, atq; de novo concedimus, & largimur; singulatim verò illas, quæ leguntur in literis felicis memoriæ Antecessorum nostrorum Clementis PP. V. incipientibus: *Cum illuminatum sit &c.* sub datum VIIII. Maij 1305. & alijs Sixti PP. IV. incipientibus: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines &c.* sub datum Kalendis Augusti 1479. in alijs Leonis X. incipientibus: *Dudum per Nos accepto &c.* sub datum x. Decembris 1519. atq; etiam alijs Clementis VII. incipientibus: *Ad uberes &c.* sub datum 1526: sicuti & alijs Pauli PP. III. incipientibus pariter: *Ad uberes fructus &c.* sub datum VIIII. Novembris 1584. alijs etiam Clementis PP. VIII. incipientibus: *Ratio Pastoralis Officij &c.* sub datam xx. Decembris 1597. atq; alijs Pauli PP. V. incipientibus: *Cum certas &c.* sub datum XI. Martij. Eas præterea, quæ alijs quamplurimis continentur, ut Innocentij PP. XI. incipientibus: *Universis &c.* sub datum xxx. Septembris 1681. & *Ecclesie Catholica &c.* xxvIII. Junij 1686. atq; etiam: *Exponi nobis &c.* v. Septembris, & *Alias emanavit &c.* x. Octobris ejuldem anni, necnon *Exponi Nobis &c.* xv. Maij 1688. sicuti & alijs Innocentij PP. XII. incipientibus: *Ad ea &c.* sub datum xxIV. Decembris 1692. *Et debitum &c.* sub datum XI. Maij 1694. necnon: *Sua Nobis &c.* xvII. Kalendas Januarij 1695. & *Cum sicut Dilectus &c.* XI. Novembris 1696. atquè: *Exponi Nobis &c.* III. Decembris 1697. sicuti: *Ex debito Pastoralis &c.* quæq; alijs aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum literis in favorem dicti Ordinis expeditis continentur, auctoritate, & tenore præmissis renovamus, & confirmamus.

XIII.
Clauſula pro hujus Constitutionis observatione.

Decernentes has nostras literas Apostolicas semper & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosq; totos plenarios, & integros effectus obtinere, & sortiri debere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet tunc spectat, & in futurum spectabit, firmiter, & inviolabiliter observandas, ac nullo unquam tempore ex quocumq; capite, & qualibet causa, quantumvis pia, legitima, & juridica, etiam ex eo, quod Tertij Ordinis prædicti, & quicumq; in præmissis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione, jus vel rem habentes, aut habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi fuerint, & causæ, propter quas eadem præsentis literæ prodierint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuum mentionem, ac expressionem requirente, defectu; sive etiam ex eo, quod in præmissis, eorumq; aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint; aut ex quocumq; alio capite, à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua, resultante, aut quocumq; alio colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, occasione, aliavè causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, & alijs superius expressis nusquam appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumq; facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu proprio, & ex cer-

ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessio, impetrato, seu vulgato uti, vel se juvare in iudicio, vel extra, posse; neq; ipsas præsentis literas Apostolicas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisq; contrariis depositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore exitutos, & Sedem Apostolicam prædictam, etiam in crastinum assumptionis eorundem Successorum ad Summi Apostolatus apicem, vel alias motu proprio, & ex certa scientia, ac consistorialiter, & ex quibuslibet causis, & sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam si de eisdem præsentibus literis Apostolicis, eorumq; toto tenore, ac Data specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis, comprehensas, sed semper & omnino ab illis exceptas, & quoties illæ prodierint, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumq; posteriori concessas esse, & fore, sicq; & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumq; Iudices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaq; Sedis Nuncios, ac alios quomodolibet quavis auctoritate, potestate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præminencia fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quovis iudicio, & quavis instantia, iudicari, & definiri debere; irritum quoq; & inanè decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca dilecto Filio actuali Ministro totius Ordinis Minorum, ejusq; Successoribus pro tempore exituris per præsentis committimus & mandamus, quatenus ipse, vel per se, vel per suum Commissarium Generalem, sive per Iudices, Conservatores ipsius Ordinis, aut etiam per alios quoscumq; sibi beneficos, & ab ipso Delegatos, præsentis literas, & in eis contenta quæcumq; ubi & quando opus fuerit, & quoties fuerit requisitus, solemniter publicans, illiq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra, tanquam Commissarius Apostolicus ad hunc effectum speciatim Delegatus, easdem præsentis literas, & in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter, & inconcusse observari; omnesq; & singulos, quos ipsæ præsentis literæ concernunt, præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permittens illos super his à locorum Ordinarijs, aut ab alio quocumq; quavis auctoritate fungente, quomodolibet & indebite molestari, perturbari, vel inquietari; nullum & insulsiens declarans quidquid sit, aut fuerit in contrarium factum; divisiones, obstacula, & perturbationes inter præfatum Tertium Ordinem, præsertim sæcularium, & contra ipsos Tertiarios prædicto Ordini Minorum, ut præmissimus, subiectos, insimulq; rebelliones, ac sublevationes adversus Superiores, & Religiosos primi Ordinis, eorumq; in prædictum Tertium Ordinem superioritatem, correctionem, jurisdictionem, & privilegia sub quocumq; prætextu, ratione, vel causa exortas, latas, & deductas, non permittens; contraditores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliâq; opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo; legitimisq; super his habendis, servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilij generalis de duabus Dietis, dummodò ultra tres Dietas aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur; alijsq; quibusdam forsan in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; ac quatenus opus sit, dicti Tertij Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, eorumq; reformationibus, & novis additionibus, styli, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegijs quoq; indultis & literis Apostolicis sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam

XIV.
Ministro generali totius Ordinis Minorum injungitur hujus Constitutionis executio.

XV.
Contrarijs derogatur.

dero-

derogatarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusq; & alijs Decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac etiam Consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium eorundem præmissorum concessis, approbatis, innovatis, & confirmatis: etiam si in eis caveatur expressè, quod illis per quascumq; literas Apostolicas, etiam motu proprio, ac consistorialiter, & ex certa scientia, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, pro tempore concessas, quascumq; etiam derogatarum derogatorias in se continentes derogari non possit, neq; censeatur eis derogatum, nisi hujusmodi derogationes consistorialiter factæ, & per diversas literas intimatæ fuerint: quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & causas, etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, insertis, expressis, ac specificatis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum omnium, & singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissimè, & plenissimè, ac sufficienter, necnon specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

XVI.
Hoc jus Constitutionis transumptis habenda fides.

Volumus præterea, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretarijs Ministri, vel Commissarij generalis dicti Ordinis, sive Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij ejusdem Ministri, vel Commissarij, aut Procuratoris generalis ipsius Ordinis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si foret exhibitæ, vel ostentæ.

XVII.
Nemo hæc Constitutionem violare audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, approbationis, concessionis, extensionis, ordinationis, largitionis, Decreti, voluntatis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo Septingentesimo Vigesimo Quinto, Quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Loco † plumbi.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Loco † Sigilli.

*Ministri Generalis, Totius
Ordinis Minorum*

Fr. Egidius à Filacciano
Secr: Gñalis.

